



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 285. Surgens autem Iesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ
Magadalenæ. v. 9.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

nenti iussæ nunciare subtruerunt, quia non audebant rem tam inopinam dicere, ob quam possent irrideri. & ludibrio haberi. imo à iudæis puniri in hac tamen timiditate, aliquid humanæ prudentiæ admiscuerunt, ne temere credulæ viderentur.

Domine Deus istæ mulieres multo prudentiores fuerunt plerumque hominibus qui nunc viuunt. Vix aliquid plane etiam rationi repugnans audiunt, cum illud statim diuendunt: dicit vnus. isto loco spiritus apparuit, audit hoc alter, & dicit tertio: audio aliquot spiritus videri. Tertius addit in singulis fere plateis aliquam domum infestari. Non sic istæ fœminæ, vere viderant visionem & tamen eam suppresserunt. bene an malè non disputo, taciturnitatem fœminarum istarum solum cum nostri æui hominibus compono. Optime igitur facit Ecclesia Catholica, quæ iubet noua miracula premi, donec examine multo sacri magistratus sint approbata, qui aliter in hac materia facit, garrit, prædicat, temeritatem suam manifestat.

§. 285. *Surgens autem Iesus mane prima sabbati apparuit primo Mariæ Magdalena. v. 9.*

Cum tentatum esset, vt per Iuuenis antedicti, in sepulchro Domini apparitionem, & mulierum harum annuntiationem Resurrectio eius manifesta fieret & id non succederet, propter timores, vt dictum est. Ipsummet Saluatorem se manifestare aggressum esse, narrat Euangelista. atque surgentem mane 1. sabbati apparuisse primo Mariæ Magdalena. non fuit ista Maria, eiusdem licet nominis quàm modo vidimus pauentem fugientem, & præ timore nemini quicquam dicentem. ei siquidem non Dominus, sed Iuuenis apparuit, sed alia eiusdem nominis de qua ad Matti. cap. 28. §. 268. egimus nempe illa quæ solà cum B. M. Virgine feria vi. aspexit vbi poneretur, & solà cum eadem visura sepulchrum Matt. 28. accessit, & quæ hic describitur, quod de ea Dominus vii. dæmonia eiecerit, hæc enim non tacuit sed nuntiavit.

Domine Deus video quod gratiarum tuarum varia sint munera & gradus. Tu vni, licet eiusdem esset cum altera nominis, apparuisti per ipsum, alteri per seruum tuum vel missum, nec est qui potest acius siue cum authoritate possit dicere tibi: *cur sic facis. Dominus vniuersorum tu es.* Tuam voluntatem adoro, & simpliciter ei acquiesco.

§. 286. *De qua eiecerat septem dæmonia. v. 9.*

Describit Euangelista. qualis fuerit illa Maria, cui primo apparuit, Christus resurgens, & dicit fuisse olim talem de qua Christus septem dæmonia eiecit.